UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt V. De præparatione, secunda orationis parte.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

CAPVT V.

De præparatione, secunda orationis parte.

Vid. de hac orationis parte loc. supra cit. Præfatos V. Patres, & Authores mysticos.

STatim atque anima sese in DEI præsentia collocavit, primùm & ante omnia Dei gratiam supplex invocare debet, ut dignè & sanctè in ejus præsentiâ persistere valeat: Et quia justus in orationis principio accusator est sui, suam humiliter considerabit vilitatem, in comparatione conspectuque tantæ sublimitatis, tamque immensæ Majestatis, repeteréque sæpiùs cum S. Francisco ex profundo cordis sui: *Quis es tu Domine, & quis sum ego?* Et cum Patriarcha Abraham: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.* Multum etiam proderit facere breve examen conscientiæ, & generalem dicere confessionem, eliciendo nõnullos actus contritionis suorum peccatorum in genere (absque eo tamen quod ad particularia tunc descendat) ut sic magis purificata anima, digniorsit quæ cum Deo suo agere possit. Postea suis diffidens viribus, postulet à DEO gratiam, ut illi cum debito reverentiæ cultu in oratione astare possit, utque ignem è cælo mittere dignetur, qui universum cordis sui sacrificium mox à se offerendum accendat ac penitùs absumat.

Gen. 18.

Impenso in desideriis hujusceмodi piis & sanctis brevi aliquo temporis spatio, & per perfectam sui diffidentiam, omni spe suâ in solo DEO collocatâ, ulteriùs exinde incœptam orationem prosequi poterit. Præcipua verò ad benè & fructuosè orandum conditio est, pura animi intentio, quâ postquam quis quo potuerit fervore atque affectu Spiritûs S. gratiam invocarit, seipsum secundùm divinum beneplacitum resignet, atque abjiciat in omnipotentis DEI manus hoc aut simili majestatis divinæ alloquio: *Domine DEVS meus hic asto coram te, ut sanctissimæ voluntati tuæ in omnibus obediam: Fiat in me sanctissima voluntas tua, non mea: Agnosco me indignum, quem exaudias, & divino orationis tuæ dono consolaris; fiat mihi non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Quod si nihilominus sentiat se aridum, & sine ullo devotionis sensu; non desistat tamen gratias agere quod tanto tempore permissus sit in conspectu tantæ majestatis permanere.

Ad hanc secundam orationis partem spectare suprà diximus, quicquid conducit ad DEI benevolentiam captandam, id est, ad permovendam divinam voluntatem, ut preces nostras pro sua pietate intra sacrarium suæ exauditionis dignanter admittat, & suam nobis ad congruenter digneq; orandum gratiam communicet. Rectissimè enim consulit *S. Basilius*, ne orationem à petitione exordiamur, idipsum exemplo illius, qui aliquid petiturus Principem accedit, confirmans.

Const. monastic. cap. 20.

Primùm enim laudes & encomia præmittit; Deindè pro collatis antehac beneficiis gratias agit; ac tandem petitionem subjungit. Simili ergo modò præcedere debet pars illa orationis, quæ in divinis laudibus, gratiarum actione, propriæque vilitatis consideratione versatur. Præter enim jam allatam rationem, hoc quoque modo tenero amoris in DEUM affectu anima paulatim colliquescit; Atque propterea secunda hæc orationis pars duo complectitur. Primum gratiarum actionem, ad quam etiam spectat profunda atque attenta cognitio & consideratio divinorum beneficiorum, quam scilicet grandia, quam singularia, quam utilia, quam sint omne meritum nostrum prævenientia, ut sunt: Creatio, conservatio, redemptio, vocatio, & multa alia, quæ unusquisque expertus est, & quotidie experitur. Quanta etiam cum liberalitate, quo affectu, qua facilitate, quanto deniq; erga indignos, imò & interdum inimicos amore & charitate, præstita sunt arq; præstetur.

Ex quo alterum partis hujus procedit exercitium; dum ex toto cordis affectu desideramus illum, à quo tot & tanta recepimus beneficia, ab omnibus benedici, laudari, glorificari, adorari; Divinarum enim laudum affectus ex divinæ bonitatis atque omnipotentiæ, diligenti consideratione nascitur, & ex admiratione altitudinis illius divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cujus judiciorum incomprehensibilitas & viarum investigabilis profunditas, præ admirationis magnitudine in magnificos laudum deducit affectus: DEUM enim laudare nihil aliud est, quam eum omni laude dignum agnoscere, infinitamque illius magnitudinem atque potentiam ubique & in omnibus mirabiliter relucentem deprædicare. Vnde & latissimus laudum divinarum aperitur campus, dum non tantummodo DEUS ipse, sed & omnia insuper ipsius opera omni benedictione & laude sunt dignissima.

Post hanc præparationem, & immediatè ante ipsam petitionem, per intellectum meditanda est Orationis materia, quam quidem SS. PP. omne id censuerunt, quo voluntas in pium deduci possit affectum, ut sunt: vita Christi Domni, Infernus, Iudicium, æterna gloria, peccati fœditas, virtutis decor, perfectiones divinæ, & his similia de quibus infrà. Hujus autem ordinis modò dicti ea est ratio, quod hoc modo fidei veritates magis firmiusque plantentur, & radicentur in animâ, & voluntas ferventiùs feratur in id quod clarius agnovit, maturiusque ponderavit: & voluntate jam ardente, fervention esse soleat, magisque affectuosa petitio, ut clariùs apparebit ex iis, quæ de particulari, & uniuscujusque statui atque profectui magis accommodo orandi modo postea trademus.

CAPVT VI.

De petitione, tertia orationis parte.

Vid. de hac quoquequnque sua practicatos Doctores mysticos

SCiendum est, ut suprà diximus, petitionem præcipuam esse & postremam orationis partem, quâ necessaria nobis ad salutem postulamus. Prima enim, mentis in Deum elevatio, & secunda, quæ est modò dicta præparatio, benevolentiæ divinæ captatione, & gratiarum actione, ad novam disponendo gratiam, petitioni, tanquam Orationis fini deserviunt, atque ad promerendam quam petimus gratiam destinantur. In hac tertiâ parte tituli & motiva propter quæ à Deo exaudiri speramus, multum ad impetrandum conducunt, Deumque super petitione nostrâ nobis reddunt propitium: dum verbi gratia, eum rogamus, ut nos exaudiat propter seipsum, propter infinitam suam bonitatem, misericordiam, atque inexhaustum suum erga nos amorem. Sic & à S. matre nost. à Ecclesiâ, quæ communiter Orationes, quas *collectas* vocant, concludere soler *per Dominum nostrum IESVM Christum*, edocti, Deum Patrem nomine Filii deprecamur: sed & Christum Dominum per dolorum pro nobis toleratorum acerbitatem, mortis ignominiam, Nativitatem, & Passionem interpellamus. Multùm deniq; movetur DEUS, dum nostram cognoscentes indignitatem, preces nostras in unione orationum,